

Q. D. B. V!

De

ΠΑΝΤΑΠΑΡΟΥΣΙΑ

b. e.

Personali Carnis ad

λόγον, à prima statim incarnatione, Præ-
sencia vel ἀδιασία,

P R Æ S I D E

*Viro admodum Reverendo, Amplissimo
Excellentissimoq;*

DN. JOHANNNE Deutschmann

Doctore Theologo atq; Professore longè ceber-
rimô, Electoralium Alumnorum Epho-
ro gravissimo,

*Dn. Præceptore atq; Patrono suo, summô, quô
potest, observantia cultu prosequendo sem-
per ac devenerando*

publicè disputabit

M. JOHANN-VVILHELMUS Weiß /
Onoldinás.

WITTEBERGÆ,

Typis FRIEDRICI WILHELMI FINCELLI,

Anno M. DC. LXV.

✠. ~~✠~~ ✠

II. diss. A
1, 12

549. A. 161 (10)

Sachs.
Landes-
Bibl.

PERdifficilis, si quisquam alius, & ferè Gordius in Theologia nodus est, qui *Onnipresenciam Christi Θεω-
 θεώας* tenet implicatam, solvendusq; nobis à Calviniano-
 rum maximè ut & Jesuitarum grege proponitur. Qui dum, de-
 fertâ simplicitatis semitâ, propriæ rationis sequuntur arbitrium, fieri
 laut quaquam potest, quin veritate sæpiùs excidant, & in deterrimos
 prolapsi errores ad vanas tandem incongruentis sequelæ, fictarumq;
 antilogiarum se recipiant technas; quibus juvare causam suam in-
 victamq; adhuc de *πανταπαρροσία* Christi hominis *Ὄρθοδοξίαν* si non
 convellere penitùs; at suspectam tamen reddere simplicioribus, stul-
 tō præsumunt animò, in erroribus suis perditì pariter atq; perdētes.
 Immane enim quantum inter cætera sibi placent in Achilleo isto, (i-
 p̄s quidem iudicibus) argumento, quod nobis, instar Gorgonei
 cuiusdam vultûs obvertere consueverunt; manifestò contra-
 dictionis vitiò nostram laborare sententiam, velle eo contendentes,
 quod *Christum Hominem, sive, humanitatem assumptam, inde à primo
 bypostatica unionis momento, dicamus fuisse ubiq; cum λόγῳ presentis-
 simam*, qui tamen à primo conceptionis termino ad salutiferam ejus-
 dem Nativitatem usq;, non nisi Deiparæ Virginis matrice fuerit con-
 clusus. Aut igitur fateamur, oportere, *Humanitatem Christi, etiam in
 nexu jam tùm atq; Copula cum λόγῳ consideratam, quum intrâ matris se
 contineret viscera, non nisi unò solò in locò*, (uterò puta Virgineo.) *lasi-
 tãsse*; aut statuamus, *Christum, extrâ uterum etiam maternum, natum
 ubi vis fuisse*. Quorum quum illud nostræ sententiæ è diametro ad-
 versum; istud verò extremè absurdum sit, invenisse se clamitant, nō
 quod pueri in faba: gallinis parùm admodùm dissimiles, quæ simul
 ac posuerunt ova, glocitare tantisper solent, dum cantu prodidère
 partum. Rectiùs de tanto Mysterio & cogitabunt & facturi verba
 sunt, qui verecundè, qui sobriè, qui reverenter, ac religiosè præful-
 genteq; supernæ Veritatis jubare id faciunt, nec ut rationis noctuæ in
 modum ad mysteria DEI caligantis, ostentent acumen; sed ut fidei
 sinceritatem approbent, plus attendentes veraciter dicenti DEO,
 quàm rationi perversè renitenti. Id igitur quò fieri temperamento
 commodùm possit, quum dispicere nostro jam sedeat animo, tuæ,
Bone Jesu, yelificantes Gloriæ juva propitius!

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

I. Aggressuri, divinô Numinis auxiliô freti, ventilandam impræsentiarum controversiam: *Anne Christi humanitas in unitatem personæ Filii Dei assumpta, inde à primo unionis hypostaticæ momento adcoëtum etiam, quum quoad actum Naturæ, virginis uterum nondum erat egressa, ubiqve, cum λόγῳ, ἀδελφῷ, indistanter ac indivulsè fuerit præsentissima*, permagni nostrâ id interessè putamus, ut ante, quam provehimur altius, termini suâ, quoad quidem fieri potest, liberentur ambiguitate; controversa à non controversis discernantur, & tandem quæstionis status legitimè formetur. Primario itaque rubricam meretur terminus *Omnipræsentia*; qui naturâ, vi nominis atque etymi sui est ἐν τῷ πᾶσι π seu relativus: præsentia quippè dicere nihil videtur aliud, quam præexistentiam; quod res, quæ præsens esse dicitur, sit prære illa, cui aut respectu cuius præsens esse statuitur, sive, quod eidem quàm proxima esse debeat, notante *Magnificô D.D. Caloviô Metaph. p. gener. de ubi etate, πορῆσ. II.* Hinc omnipræsentia vox σύνθετῶ ex prima impositione nil notat aliud, quam Entis alicujus ad omnia externa approximationem, ἀδιαστασίαν sive indistantiam atque adessentiam.

II. Hujus autem vocis triplex potissimum acceptio huc usque obtinuit: sumitur enim vel latè, vel strictè vel strictissimè. Latè quidem pro absoluta & nuda Dei in suo ubi adessentia; quomodo omnipræsentia & ubiqvitas à plerisque usurpantur promiscuè, vid. ibidem p. 379. theor. 3. ut adeò hoc sensu *omnipræsentia, ubiqvitas & Immensitas* pro iisdem ferè habeantur, quæ tamen adcuratius ab invicem distinguenda. *Strictè* verò, quatenus, perpetuò scripturæ sensu, pro relativa adessentia sumitur, cum efficaci scilicet & operosâ ἐνεργείᾳ ad extrâ. Et hujus vulgò tres faciunt gradus: (1.) *universalem*, quomodo Deus omnibus in universum Creaturis adest, eos producendo, sustentando, gubernando Act. 17. v. 27. 28. Jerem. 23. v. 24. (2.) *gratiosum*, quâ ratione Deus peculiariter suæ ecclesiæ in his terris adest, eam colligendo, conservando, & adversus hostium insultus potenter defendendo Jerem. 59. v. 21. Joh. 14. 23. 2. Cor. 6. 16. cujus itidem tres subdistinctos faciunt modos: primum *symbolicum*, ut quando Deus sæpius legitur in symbolo apparuisse, specie Angeli, Joh. 6. v. 1. 5. Viri, Gen. 32. v. 24. 30. Columbæ, Matth. 3. v. 16. linguarum ignearum Act. 2. v. 38. secundum *organicum & sacramentalem*, quando Deus, mediantibus verbô & sacramentis, regenerationem,

conver-

conversionē & fidei confirmationem in hominibus operatur Matth. 26. v. 28. Marc. 16. 1. Joh. 1. 7. Tertium mysticum & spirituale, quando Deus in piorum cordibus gratiosè habitat Joh. 14. 23. 1. Cor. 3. 16. (3.) gloriosum, quomodo Deus cum sanctis in cælo est, quibus perfectè se & intuitivè cognoscendum præbet 1. Cor. 13. 12. 1. Joh. 3. 2. 1. Thes. 4. 17. Conf. Excell. D. D. Præsidis *diss. IX coll. secund. Anatom: de Incarnatione verbi* §. 9 quæst. 3. *Strictissimè* tandem omnipræsentie vox accipitur, ut notat præsentiam assumptæ Carnis ad λόγον ac λόγος ad carnem per ἀδιαστάς seu indistantiam, ex unione & περιχαρίσει naturarum mutuâ atque personali, immediatè profluentem, ut loquitur D. D. Gerhardus Exeg. Loc. IV. de persona Christi §. 218. vi cuius inde à primo conceptionis primordio ne fingere quidem licet, λόγον incarnatum esse alicubi, ubi eidem assumpta caro non adsit præsentissimè, in qua, tanquam proprio suo templo personaliter jam habitat tota Deitatis plenitudo Colos. 2. v. 9. Quæ acceptio potissimum est hujus loci.

III. Deinde, ut eò tutius impostero figere queamus pedem, notandum etiam est, omnipræsentiam DEI, quocunque, nomine tibi veniat tandem, non esse (1.) *diffusivam*, quomodo aër partibus suis quantitativis distentus & Dresdæ & Lipsiæ est præsens. (2.) *Non expansivam*, quomodo, cælum concavâ sui superficiè corporibus sublunaribus videmus esse præsens. (3.) *Non virtualem* solùm, quo pacto solem longissimè à nobis distitum præsentem sentimus efficaci suâ virtute & operatione. (4.) *Non localem*, quasi Deus locorum spatii commensuretur, ambiatur aut includatur. (5.) *Non multiplicativam*, quomodo hominis successiva in diversis ubi adessentia ejusdem præsentiam multiplicat. (6.) *Non physicè repletivam*, veluti dolium repletur vinò; nec denique. (7.) *Partialem* aut *definitivam*, quomodo Angelus, qui nunc præsens est Romæ, eodem momentò non potest esse Hierosolymis. De quibus jam olim protestatus graviter pro nobis est B. Jac Andrea in der Calvinischen Lügen Wiederlegung: Ich forderer für den Richterstuhl unsers H. Erren J. C. alle Calvinisten und schwärmer/die uns ihr eigen teuffelisch Gedicht von ihrer fleischlichen Ubiquität auffdringen/ ob solten wir lehren/ daß die Menschheit mit der Gottheit räumlicher weise an alle Orte außgespannet/in Holz und Stein/in Apffeln/Birn/in allen Gläsern und Bierkannen sey/welches Gedicht falsch/gottlos und unrecht ist/ und beedes wieder Göttlichen und Menschlichen

Natur wesen streitet. Vid. Dn. D. Bilefeldts tractatus recens editus
 cui titul. Gründlicher Beweis und Vertheidigung eslicher notwen-
 diger Klagen/ so die Lutheraner wieder die Calvinisten führen / &c. &c.
 quidem in der sechsten Klage p. 127. 128. sed *imaterialem, illocalem,
 essentialem, immediatam, immediatione & virtutis & suppositi, impar-
 tibilem, omnes creaturas instar pulvisculi minutissimi continentem.* Esa.
 40. v. 12. *nobis prorsus incomprehensibilem & ineffabilem.* Vid. D. Ger-
 bardus Loc. II. in exeg. de attributis divinis §. 172. D. Bottsaccus Gymn.
 Chrysol. disp. 1. 2.

IV. Monebamus paullò antè §. 2. licet nonnullis *Immensitas, U-
 biquitas & Omnipresencia* ἰσοδυναμῆντα videantur, si ἀπεριβολεῖν
 tamen velimus, cum maximè ab invicem esse distingvenda. *Immensi-
 tas* ergò nobis est attributum DEI essentialè, absolutum, ipsi ab o-
 mni æternitate, ob infinitatem essentia, conveniens, secundùm quod
 DEUS non potest non Ubiquè esse, ex naturæ suæ necessitate. *Ubiqui-
 tas* verò dicit nudam atq; simplicem, eamq; non aptitudinalem tan-
 tùm, sed *actualem* in omnibus ubi adessentiam, atq; ἀδιαστασίαν.
 Cumq; hæc DEO *essentialiter* competat, in eodem insuper notabit
 (non nudam duntaxat, eamq; *actualem ἀδιαστασίαν* & ad essentiam,
 sed) simplicem simul adessendi interminabilitatē, ut, quia DEUS es-
 sentialiter est ubiquè, non possit non actu esse in spaciis vel πῶς infi-
 nitis, & quod ei simpliciter repugnet, esse in Ubi limitato. Utraq;
 tùm Immensitas, tùm Ubiquitas attributorum DEI essentialium, ab-
 solutorum, ἀνευεργήτων annumeranda censui est. Sequitur *Omnip-
 resencia*, quæ est attributum DEI non essentialè, sed extrinsecum,
 non absolutum, sed relativum, fluitq; ex Immensitate & Ubiquitate
 DEI, quatenùs ille, qui immensus actu adest Ubiquè, non potest non
 actu præsens esse creatis rebus omnibus. Conf. Theol. Sax. apol. de-
 cis. p. 246. 255. Menzerus tom. 5. disp. XV. ch. 17. seqq.

V. Dixi omnipræsenciam esse attributum DEI *extrinsecum, rela-
 tivum & temporaneum*, quia, si essentialè foret, immutabiliter ab æ-
 terno DEUS omnipræsens fuisset; quod enim DEO essentialiter
 convenit, id ab omni æternitate habet; per essentiam namq; suam
 DEUS id sibi est, quod est: at verò omnipræsencia in tempore cœpit:
 priùs enim, quàm exstarent Creaturæ, DEUS omnipræsens non erat;
 quùm præsentia sit terminus relativus, qui dicit respectum ad aliud
 quid extrinsecum, uti constat ex §. 1. Hujusmodi quid quum antè
 mundi

mundi exordia non daretur, DEUS certè non poterat esse præsens illi, quod non erat, ut antè mundum conditum & ab æterno infinitus fuerit atq; immensus. Quæ probè notaveris contrà *Matth. Martin. Philipp. Casar. Wendelin.* docentes, *Omnipræsentiam esse ipsum DEUM, proprietatem essentialem, ipsam immensitatem ad omne πᾶ re-* *latam.*

VI. Ex hætenùs recensitis infero; 1) nihil extrà DEUM esse immensum & infinitum, quia nihil præter eum, essentialiter & naturæ suæ necessitate est ubiq; , neq; aliud quicquam extrà DEUM datur, cui simpliciter repugnet, adesse in ubi limitato, & determinato; Si hoc; neq; humana Christi natura in unionem personæ τῷ λόγῳ assumpta, etsi maximè à nobis dicatur & sit etiam omnipræsens, erit infinita & immensa: quam incongruentiam tamen, (ut sit loquar) Adversarii, contrà propriæ conscientiæ dictamen, affricare nostratibus laborant. vid. B. Lutheri T. III. Jen. Germ. p. 463. 2) DEUM non tantùm ibi adesse, ubi operatur ad extrà: quum DEUS non possit finitis hujus universi pomœriis ita concludi, quin extrà etiam summi & extimi cœli convexa actualissimè (sit verbo venia!) adsit, ubi tamen nulla DEI operatio ad extrà, quia nullæ, extrà hoc universum, sunt creaturæ, circà quas divina occupetur operatio. Fundamenta desideras? Jobum audi, qui cap. XI. v. 8. ὄψθα λμοφανερώς DEI extrà mundum actualem adessentiam tibi describet, quod DEUS altior sit cœlò; infernò profundior; longior terrâ; mari latior. Audi in eandem etiam sententiam 1. Reg. 8. cap. v. 23. Cœli cœlorum te non capiunt: quomodo verò non capiunt, si cœli terræq; terminis actualis ejus adessentia & essentialis præsentia clauditur? Vides ergò DEUM esse alicubi, ubi ejus operatio non est. Confer *D. D. Gerhard. Loc. II. de attributis divinis §. 186. 3.)* noto, quod, tametsi solum DEUM dicimus ubiq; adesse præsentissimè, præter DEUM nihilominus creaturam dari finitam posse, quæ possit esse ubiq; actu, salvâ naturæ suæ finitate, dicere nihil vereamur. Neq; enim dubium nobis esse debet, (loquimur cum Schrödero in *Sceptr. Reg. Cbr.*) DEUM per absolutam suam omnipotentiam præstare posse, ut quacunq; creatura, sive Angelus, sive homo sive corpus in cœlo & in terra simul præsens adsit, etiamsi unio hypostatica nulla intercedat. Idem concedit Gregor. de Valentia tom. 1. diff. 1. quæst. 9. punct. 4. asserens, posse aliquam creaturam per absolutam DEI potentiam in omnibus locis præsentem sibi. Et fol. 324. d.

324. d. 2. c. 2. de essentiali Spiritûs S. omnipræsentia differens: *Omnipræsentiam, ait, P. P. intelligunt naturalem, quâ scilicet, non alienâ virtute sed ex suapte natura res existat ubiq; præsens. Talem enim omnipræsentiam Spiritui S. Competere planè significat Scriptura S. &c. Nos autem, ex sententia Doctissimorum Virorum, non nisi alterius modi Omnipræsentiam sive Ubiquitatem convenire creaturæ posse, per absolutam DEI potentiam arbitramur, ut scilicet suprâ naturam suam & alienâ virtute id habeat. Haftenus Gregorius. Vid. quoq; Magnif. D. D. Calovius in Metaph. divinâ p. gen. de Ubietate πορση. 5. B. D. Martini lib. 2. de loco c. 36. p. 639. seqq. ut & disput. quam de Omnipræsentia Christi, sub præsidio Celeberrimi nostri Theologi D. D. Calovii, habuit Vir Præclarissimus, Dn. M. Wennerus, qui hoc ipsum per aliquot theses ibid. deduxit fusiùs. 4.) Observo, quod omnipræsentia in suo formali & præciso conceptu, ut dicit respectum ad creaturas, non notet ad essentiam infinitam; idq; ex eo, quia creaturarum Universitas, ad quam præsentia illa respectum habet, est finita, non infinita, adeoq; si vel maximè per absolutam DEI potentiam Angelus respectivâ istâ ad creaturas omnipræsentia fieret omnipræsens, non tamen ille idcirco foret ubiq;, multò minùs fieret infinitus vel immensus; præsens enim tantùm ad foret creaturis, quarum totum complexum naturaliter hic Mundus est, finitum quid: quia ergò tantùm præsens esset Creaturis, patet eum ibi præsentem non fore, neq; adesse posse, ubi nullæ sunt creaturæ: si hoc; Ergò non est simpliciter Ubiquus; quia non est in omnibus illis Ubi, in quibus DEUS extra mundum etiam, ob infinitatem essentiæ, actu adest, ut suprâ not. 2. hujus §. dedimus probatum.*

VII. Neq; tamen exinde sequitur, Omnipræsentiam, quam statuimus esse attributum divinum relativum, esse finitam, adeoq; in DEUM infinitum cadere aliquid finiti, quod implicat. Consul. Excell. D. D. Præses d. l. disp. VII. § 6. Distingvimus enim cum B. Gerbar-do Exeg. LL. Locò II. de natura & attributis divinis §. 186. inter DEI omnipræsentiam sumtam radicaliter & relativè. Priori modo DEUS unq; non in mundo solùm apud creaturas actu adest, quia essentia ejus excelsior coelò & terrâ profundior; posteriori verò ad essentiam DEI relativam ad creaturas finiti orbis limitibus determinare, nihil quicquam vetat, quia extrâ mundum non sunt res, quibus ibidem præsens adesse DEUS possit. Relinqvitur ergò, Omnipræsentiam
DEI

DEI, licet in relatione ad creaturas finita sit, radicaliter tamen, æfundatur in immensa & infinita DEI essentia, esse attributum DEI-tatis infinitum.

VIII. Distingvere prætereà jubeo inter omnipræsentiam, consideratam in sensu *abstractivo*; & in sensu *concretivo*: inter omnipræsentiam *ut sic*, & inter omnipræsentiam *talem vel talem*, sive, inter omnipræsentiam *formaliter & materialiter* spectatam. Et quando quærent ex nobis Adversarii, utrum ne habeamus omnipræsentiam pro attributo *ἐνεργητικῶ*; an verò *ἀνενεργητῶ*, in proclivi est responsio: Omnipræsentiam diverso respectu & esse *ἐνεργητικὴν & ἀνενεργητὸν*. Omnipræsentia ut sic, sive formaliter spectata, ut noceat nudam *ἀδιασσίαν* s. ad essentiam rei unius ad alteram, esse utiq; attributum *ἀνενεργητὸν*, non secus atq; est ipsa Ubiquitas; quatenus verò accipitur concretivè in significatione stricta §. 2. prout eadem in Scripturis DEO attribuitur, non facilè, ipsam *ἐνεργητικὴν* esse, diffitebitur, qui sacrum consuluerit codicem. Neq; enim Ter Optimus Maximus ut otiosus rerum spectator, sed ut potens Gubernator atq; Conservator præsens Creaturis adest. Sensus autem iste concretivus Omnipræsentia divina suum rursus *formale* habet & *materiale*: Hujus vice fungitur tota essentia divina; formaliter autem ad omnipræsentiam divinam strictè acceptam duo faciunt, *indistantia & operatio*: ipsa videlicet essentia divina actualis & præsentanea ad Creaturas approximatio & substantialis ad essentia, insuper verò efficax essentia præsentis operatio.

IX. Enimverò, ad scopum ut collimemus propius, omnipræsentiam istam DEI operativam frequenter Theologi distinguunt in *actum primum & secundum*; illum Humanitati Christi in statu exinanitionis, hunc eidem demum in statu exaltationis tribuunt. Quod igitur in genere heic de statu exinanitionis asserunt illi, id non abs re ad præsentem nos applicamus controversiam, quando de primo omnipræsentia Christi Homini instanti adeò sollicitè nobiscum expostulant adversarii, atq; in specie asserimus de primordiis Status istius exinanitionis, eò nimirum tempore, quò assumpta Christi humanitas, more omnibus mortalibus communi, in benedicta Matris alvo, naturæ, sensim maturantis partum, ordinem expectando, detinebatur & claudebatur. Dicimus ergò, Humanitatem Christi, quum clauderetur utero B.

B

Vir-

Virginis, omnipræsentem fuisse actu primò, non item secundò. Hoc volo: Humanam Christi naturam in ipso etiam gloriosæ matris utero, ob unionem personalem cum λόγῳ, primò conceptionis momento & cœptam & consumatam, habuisse quidem omnipræsentem, potestativum, majestaticum ubiq̃; dominium, quoad possessionem, non verò quoad usurpationem & exercitium; quia licet id temporis in DEI etiam forma esset, exinanitionis tamen post futuræ heic initia fecit, & omnipotens Ubiq̃; cum λόγῳ dominium, quum tunc etiam potuisset exercere, exercere tamen *non voluit*, sed potius se exinanivit, formâ servi acceptâ &c. Philip. 2. v. 6, 7. Res est in expedito: Communicatâ quippè humanæ Christi naturæ subsistentiâ τὸ λόγῳ, non potuit non eidem communicari unâ cum λόγῳ tota DEITATIS plenitudo Coloss. 2, 9. Unde non immeritò à communicatione personali totius plenitudinis τῆς Θεότητος & ad actualem omnipræsentiam communicationem argumentari licet.

X. Nequaquam autem hinc elicitor, quod tamen tantò nonnulli crepant nisu; *si Christi humanitas, quum esset Virginis alvo clausa, non fuit omnipræsentis actu secundò, sequi idcirco, quod tunc etiam non fuerit actu secundò ubiq̃; cum λόγῳ præsens*, seu, quod non actu, verè & realiter fuerit in omnibus illis Ubi, in quibus tunc λόγῳ actu præsens adfuit. Quotquot enim eum in modum concludunt, vel incogitanter, vel ignorantes, confundunt Omnipræsentiam in acceptione stricta, cum eadem, accepta in sensu strictissimò. Vide suprâ §. 2. atq̃; adeò à quæstionis abludunt cardine. In mentem verò sibi revocent, velim, distinctionem nostratium, non minùs utilem, quàm necessariam, quæ est, inter humanitatis Christi *actum naturalem*, & *eiusdem actum personalem*, seu: inter humanitatem Christi consideratam ratione ἰσοστάσεως i. *subsistentia*, quò respectu est unum quoddam cum λόγῳ ὁφιστάμενον ἀδιάρρητον. Quam in rem consule D. Brochm. System. Theol. Tom. 1. L. XV. de Christo Θεῶν ὁρώπῳ c. 8. qv. 4. solut. argum. 3. p. m. 300. B. D. Meisnerus Phil. sobr. sect. 3. qv. 3. p. m. 378.

XI. Neutiquam verò confundendus heic etiam est *actus secundus* omnipræsentia in sensu *concretivo*, & *strictè* acceptæ, ut notat præsentiam DEI Majestaticam, operosam & imperiosam, cum *actu secundò* omnipræsentia *latè* & in sensu *abstractivo* positæ, ut notat *nudam*

nudam ubiqvitatē, ἀδιασπασίαν & actualem in omnibus Ubi adessentiam. Neq; enim Theologicam, neq; Philosophicam, magnorum virorum judiciō, ἀνεπίβουλον sapit, dicere, DEUM actu primo vel secundo esse Ubiq; ; sicut non minūs foret inconveniens DEUM actu primo vel secundo esse æternum, immensum, infinitum, quia DEUS non potest non ab omni æternitate actualissimè & perfectissimō modō esse æternus, infinitus, immensus; pariformiter DEUS non potest non semper ipsissimō actu esse ubiq; ; Ratio est, quia actus secundus hoc sensu semper includit operationes, actus primus verò notat formam, à qua tales operationes profluere aptæ natæ sunt. Ecquis verò sine manifestâ contradictione ex attributis DEI quiescentibus seu non operativis operativa faciet atq; ἐνεργητικά? Ubi enim actus secundus hōc sensu? ibi operationes; at in attributis quiescentibus ut sic (quibus accenlemus Ubiqvitatem seu omnipræsentiam DEI abstractivè & latè acceptam) nullæ sunt operationes, nullus ergō ibi obtinet actus secundus.

XII. Quō ritè observatō, corrui cadaverosa illa Consequentia §. X. adducta: *Si Christi humanitas virginis utero clausa, non fuit omnipræsens actu secundo; Ergō non ubiq; fuit actu cum λόγῳ præsens;* quia à negatione actus secundi omnipræsentia operativæ, ad negationem actualis adessentia Ubiqvitatis & præsentia ἀνενεργήτης non nisi vitiosissimè concluditur. Demonstrationem petis? fac periculum: *Ubi DEUS non est omnipræsentia operativâ, ibi non adest actu;* id quod ex mente tua: subsumo ego: DEUS extrâ mundum non adest omnipræsentia operativâ, vid. §. 6. 8. emergit conclusio: Ergō DEUS extrâ mundum non adest actu, quid inde? illud, quod omnes pii hætenūs abominantur dicere, nimirum, quod DEUS non actu sit immensus, non actu infinitus, non actu adsit ubiq;. Apage verò brutas hujusmodi & satis injurias in DEI Majestatem, scripturarū Veritatem & catholicum totius Ecclesiæ consensum, seqvelas. Quum itaq; dubio procul illata Conclusio sit falsa, falsa sit, oportet, alterutra quoq; præmissarum; non minor, quippè demonstrata superiūs; Ergō Major, quæ ipsius est Adversarii, & sic habebat: *Ubi DEUS non est omnipræsentia operativâ, ibi non est actu.* Quod si verò hæc est falsa, ejus contradictoria vera sit, necesse est, nimirum, *quod DEUS ibi adsit actu, ubi tamen per omnipræsentiam operativam præsens non est;* inter duas namq; contradictorias nihil intercedit, & si una

fit falsa, vera necessario erit altera. Applica hoc ad humanitatem Christi in utero B. Virginis, quæ utiq; quoad actum personæ cum λόγῳ (jam incarnato) erat ubiq; ad essentia actuali seu reali, licet non ubiq; cum λόγῳ omnipræsens, majesticum, operosum ac imperiosum dominium exfereret atq; exerceret; ut taceam, pessimè heic etiam confundi omnipræsentiæ *strictè* sic dictam cum omnipræsentiæ acceptâ *strictissimè* §. 2.

XIII. Malè à nonnullis confundi præterà solet *actus primus* & *actus secundus*, quæ sunt vera & realia Entis attributa, cum *potentia* & *actu præcisè sumtis*, quatenùs ista (nempe potentia) nil nisi negationem impossibilitatis seu simplicem non repugnantiam dicit in subjecto per merè extrinsecam denominationem, quò sensu istis dicitur actu primo (seu veriùs in potentia) esse Romæ, qui tamen actu degit Wittebergæ, quatenùs ipsi non est impossibile, ut (si modò velit) adhibitis adminiculis, Romæ esse possit; hòc sensu certè non dicimus, carnem Christi latentem adhuc in Virginis utero (quoad actum naturæ) actu primò, seu potentiâ (secundùm istos) fuisse ubiq; cum λόγῳ præsentem, quatenùs ipsi non repugnabat, ut, si modo placitum fuisset, ubiq; esse potuerit, quæ tamen actu non, nisi in utero materno, fuerit; quum præsentia ista sit pura pura non præsentia: qui enim adhuc aptitudinem tantùm habet præsentem essendi alicubi, ubi λόγῳ est, actu verò, i. e. verè & realiter ac citrà mentis fictionem, non ubiq;ve λόγῳ præsens est, ille per non-præsentiam præsens est, eò quod aptitudinalis ista præsentia ex se nihil importat aliud, quàm simplicem non repugnantiam præsentia, seu negationem impossibilitatis, ad præsentem essendum ubiq;ve, ubi λόγῳ est; sicuti nemo sanorum, me, qui actu jam Wittebergæ sum, dicit in Franconia præsentem, proptereà, quod mihi non repugnat, ibi esse aliquando, si modò facultati loco motivæ vel Voluntas accedat, vel consensus superiorum.

XIV. Tùm & hoc isthic probè notandum venit, quod divinæ Omnipræsentiæ idioma atq;ve Majestas carni Christi conveniat, ut semper, ita, & in utero B. Virginis existenti, non κατ' ἐνύπαρξιν; sed κατὰ συνδύασιν, non *inbæsivè*, ut ipsi insit, tanquam subjecto, sed *attributivè*, quod eidem competat, ob indivulsam unionem personæ cum infinitæ & immensæ essentiæ λόγῳ DEI Filio. Brevius: Communicatam dico omnipræsentiæ (quæ est divinum ipsius λόγῳ attributa-

tributum) humanæ Christi naturæ personariter, non per transfusionem aliquam inhætionem; sed per communem possessionem, usurpationem & denominationis participationem. Non ergo duplicem facimus Ubiquitatem vel omnipræsentiam, uti cavillatur *Bilshenius Logic. R. p. 173.* quarum altera sit λόγος, altera carnis Christi: id namque tum demum fieret, si subjectivè & inhætivè Ubiquitatem Carni Christi convenire statueremus; quod tamen à nostratium sententia quàm fuit alienissimum. Neq; enim per se & per suam essentialitatem humanitatem Christi dicimus esse Ubiquè, sed κατ' ἄλλο per & propter indissolubilem ac omni modo indivulsam & indistantem unionem cum λόγῳ, qui propter essentialitatem suam immensitatem non potest non actu adesse Ubiquè; ob ὑπόστασιος verò suæ cum carne realem & actualem communionem & identitatem non potest non ubiq; assumptam carnem unà, in sua hypostasi subsistentem sibi habere præsentissimam, in omnibus illis Ubi, in quibus hæc communis λόγος & assumptæ carnis ὑπόστασις actu adest. Quemadmodum itaque non sequitur, duplicem v. g. esse vitam in homine; animæ alteram, alteram corporis, cum tamen vita soli competat animæ per se, ut actus videlicet ejusdem essentialis & proprius, corpori autem tantum sit communis ad possessionem, usurpationem & denominationem, ob unionem cum animâ: Ita multò minùs licebit exinde colligere duplicem Ubiquitatem vel Omnipræsentiam, quòd hæc competat λόγῳ quidem per essentialitatem, carni autem assumptæ per unionis gratiam & ὑπόστασιος cum λόγῳ identitatem.

XV. Illud verò iterum atq; iterum notaverim, ut, quoties actualem præsentiam carni Christi assignari à nobis audis in omnibus illis ubi, in quibus fuit λόγος, ita idiplum intelligas: verè quidem, actualiter & citrà mentis fictionem eandem λόγῳ ubiq; præsentissimè adfuisse, non quoad actum naturæ, sic etenim concredita erat alvo benedictæ Virginis; sed quoad actum personæ, quæ quia σύνθετος ex duabus naturis (uti loquitur *Bonaventura 3. sentent. dist. 6. q. 2. Augustinus de Trinit. l. 13. c. 17. Damasc. l. 3. c. 4.* aliiq; passim.) non nisi absurdè finges totum Ἰεωυθεωπον fuisse alicubi, ubi non simul, verè realiter, actu & citrà mentis nostræ operam adfuerit humana ejusdem natura præsentissimè; non secus, ac si hominem alicubiingas præsentem sine corpore: Quid enim homo sine corpore

pore? nempe quod infomnium sine somno, aut, si mavis, crassa & sesquipedalis Contradictio.

XVI. Operâ hîc tamen abutentur Calviniani, si cum *Alstedio suo Encyclop. l. V. cap. 24. reg. IX.* distinctionem protruserint, inter *totum Christum & totum Christi*: & illum quidem concedant fuisse & esse ubiq; præsentem; hoc verò ubiq; aut fuisse aut esse àctu præsens, eant inficias, juxta illud Poëtæ:

*Non totum Christi, sed totus Christus ubiq;
Verus ubiq; DEUS, verus ubiq; & homo.*

Ut enim sileam, quid ipsismet Reformatis quibusdam, isq; non infimioris atq; subsellii, distinctionis istius ἀπεροσδιονύσ fucus si oleat, *Maccovius* sanè *Coll. Theol. quest. miscell. A. 1622. disp. 8. Coroll. 3.* citante summè *Reverendo D. D. Caloviô Metaph. div. p. Gen. de toto & parte μερῶν. VIII. p. m. 531.* apertè fatetur: *Iste voces totus Christus, & totum Christi eadem planè sunt. Nec ergò verum erit illud quod aliqui dicunt: Hac propositio, totus Christus est ubiq; est vera. At hæc: Totum Christi est ubiq;, vera non est. Nam utraq; falsa est, & hæc & illa. Totus enim Christus constat ex divinitate & humanitate, ac proinde dicere, quod totus Christus sit ubiq;, nihil aliud est dicere, quàm Christum & secundum divinitatem & secundum humanitatem ubiq; esse. Piscatoris, allegatore ipsomet *Maccoviô* prædicti loci, verba sunt: *Ad hanc questionem verè responderi aliter non potest, quàm sic: Christus non est totus ubiq;, sed ex parte tantum Deitatis.* Male insuper per hanc distinctionem, quod est essentiæ, adscribitur statim præsentia; Pejus confunduntur attributa DEI quiescentia cum operativis; pessimè verò omnium arctissima intimeq; ἀειχωρητικῆ duarum naturarum unio in Christo distrahitur & fingitur alicubi esse λόγος post incarnationem sine carne assumpta, ut adeò dicere quidem liceat, totus homo intelligit, non totum hominis; at non nisi perversissime falsissimeq;: totus homo alicubi præsens est, non verò totum hominis. Ubicumq; enim totum est àctu, ibi simul ejus partes omnes àctu adesse necessum est, quippè quæ à toto isthoc constituendo non nisi contradictoriè abesse possunt: Et quis ferat argutantem? totus homo est Ens; totum hominis autem Ens non est: Totus homo est unus, verus, bonus (intellige transcendentaliter) totum hominis*

au.

autem non est unum verum, bonum? si enim totum hominis Ens non est, ergo erit non Ens; inter hæc enim contradictoria nihil mediat; quomodo verò ex non Ente & Ente fit unū per se, nempe totus homo? Anne & non Ens, ut pars realis & positiva potest concurrere ad constituendum Totum? absolum: quomodo etiam totum hominis non est unum, verum bonum? cum eò ipso, quò ex non Entium censu eximitur, fiat Ens: quò verò magis aliquid de Ente participat, eò magis etiam est unum, verum, bonum. Nam omne Ens est unum verum bonum, & contra unum, verum, bonum est Ens, ceu docemur ex Metaphysicis.

XVII. Nequè verò hinc nisi malitiosè admodum affinges nobis, quod si humana Christi natura in utero Matris adhuc dum clausa à nobis statuatur quoad actum personæ verè, realiter, & actu fuisse ubique præsens, ubi λόγος præsens fuit sive λόγος incarnatum nullibi fuisse sine assumpta carne præsentem, sequi ex nostra etiam sententiâ, quod humana Christi natura tum quoquè plenarium Majestatis communicatæ omnipræsentis dominium actu secundò exercuerit, quem tamen actum secundarium plenarii Domini Majestatis Christo post resurrectionem demum & sessionem ad dextram Patris humanitati assumptæ aliàs nostri Theologi attribuunt. Id enim est in eos impingere scopulos, qui ex indistincto omnipræsentia abstractivæ & concretivæ significatu, confusione item actus naturæ, cum actu personæ, actus præcisivè sumti, ut nominali contra distinguitur potentia, cum actu secundò, qui est verum & reale Entis attributum, in cœlum minari quasi videntur; quos evitare tamen, observatâ probè accuratâ præmissarum distinctionum cynosurâ, haut, puto, usquè quaquè fuerit difficile.

XVIII. Ex vera, reali & actuali præsentia Carnis Christi (benedicto matris utero clausæ) in omnibus illis Ubi, in quibus λόγος erat incarnatus, sequitur eque omnipræsentia carnis Christi in sensu abstractivo sumta, quæ nudam importat adessentiam & ἀδιασσίαν, propterea, quod nullibi fuerit λόγος incarnatus, quin simul, verè ibi, realiter & actu adfuerit assumpta caro, sine qua λόγος incarnatus nullò modò esse poterat, & hujus omnipræsentia humanitatis assumptæ *primum, præcipuum, unicum & adequatum* fundamentum est Unio personalis, in primo salutiferæ conceptionis momento

mento

mento consummata. Neutiquam verò ex universali illa carnis ad-
 essentia in omnibus Ubi τὸ λόγος sequitur omnipræsentia in sensu
 cōcretivo, prout notat non modò subjecti ἀδιασυσία, sed etiam
 veram, realem & efficacem in sustentandis, conservandis ac guber-
 nandis creaturis ἐνεργεῖαν ac potens Ubiq; dominium; *Hæc enim
 non tantùm ex unione personali & mutuâ naturarum ὡς ἑξ ἑσῆι de-
 det; sed certò respectu etiam ab exaltatione, quoad plenarium scilicet u-
 sum divina Majestatis jam ante per & propter unionem personalem cum
 λόγῳ carni communicata:* licet enim cum primo unionis instanti
 caro præsentissimum Ubiq; ac potentissimum Dominium τὸ λόγος
 acceperit verè, realiter & actu Coloss. 2. v. 9. *quia tamen exinanitio-
 nis intercessit status, per quam Christus sponte suâ seipsum exinanivit
 & servi formam accepit Philip. 2. 7. ideò in exaltatione demum omnipræ-
 sentia (seu plenarium omnipræsens domini exercitium) fuit sequuta;*
 verba sunt B. D. Gerhardi Exeg. Loc. IV. de persona & offic. Christi §.
 218: Ubi idipsum pluribus persequitur. Monstrat idem Scriptura
 S. Act. 2. v. 32. 33. 34. Eph. 1. 20. 21. 1. Petr. 3. 22. & c. Lique-
 tu concretivò omnipræsentiã esse attributum DEI ἐνεργητικόν, cui
 actum primum & secundum idcirco assignare nihil quicquam vetat:
 sensu verò abstractivò attributum DEI ἀνεργητικόν seu quiescens ef-
 se & non operativum, cui actum secundum i. e. operationes ab actu
 primo promanantes attribuere, est diem sine sole facere, ex attributo
 non operativo operativum, & ridiculum σιδηρόξυλον. De quibus o-
 mnibus ut eò plenius constat, esto jam nostræ sententiæ

ΚΑΣΑΣΚΕΥΗ.

Quum in superioribus luculenter admodum à nobis conce-
 sum sit, Humanam Christi naturam, in utero benedictæ virginis cō-
 tentam, actu secundò omnipræsentem non fuisse, omnipræsentiã il-
 lâ efficaci & operativã, illud jam tanquam ἐξαγωγίως removebimus,
 probaturi impostertum, Humanam Christi naturam, quoad actum
 nature uteri benedicti terminis clausam, respectu actus personalis,
 fuisse ubiqve λόγῳ præsentem, seu fuisse in omnibus illis Ubi, in
 quibus erat λόγος, præsentissimam, idq; non aptitudinaliter tantùm
 aut virtualiter, sed actu, verè & realiter citrà mentis fictionem. Ubi
 amen

tamen, non tam numero, quam pondere argumentorum, pugnare
instituti ratio permittit.

Argum. I.

Ex unionis realis natura in genere.

Ubicunq; post unionem consummatam (loquor de vera, reali & substantiali unione) est unitorum unum verè reali & actuali presentia, ibi est unitorum alterum, non minus verè, reali & actuali presentia. At post unionem τῆς λόγου cum carne, dum eam Virginis ambi- vent viscera, consummatam, Unitorum unum, nempe ὁ λόγος, erat Ubiquè verè, reali & actuali presentia. E. & unitorum alterum, assumpta videlicet caro, verè, reali & actuali presentia erat ubiq;.

Major probatur ex natura unionis realis inter unita totalia & adæqvata; quâ durante ne fingi quidem potest, quomodo unitorum unum possit alicubi esse præsens actu, quin ibidem actu etiam unum adsit unitorum alterum? quemadmodum ne quidem fingere potes hominem totum alicubi esse præsentem actu, ubi non simul actu adsit ejus corpus & anima, idq;ve tantò heic magis, quòtò hæc inter λόγου & carnem unio arctior est atq; intimior. Adde, quod si alterutri unitorum quidem præsentiam realem & actualem; alteri verò præsentiam tantum imaginariam & potentialem seu aptitudinalem tribuas, (quod ἀπειδέτως heic per præsentiaæ actum primum & secundum velle nonnulli videntur) jam solveris unionem: quum eò ipsò actualiter & reverè dicas, unitorum unum esse alicubi, ubi alterum unitorum actualiter & verè non sit, sed aptitudinem tantum habeat ibidem essendi. Perpende verò, anne respectu illius Ubi, in quo alterum Unitorum est actualiter, alterum verò actualiter non est, detur vera, realis atq; substantialis unio, & annon potius nuda tibi atq; imaginaria relinqvatur χέσις? qualem fingas, ubi vis, inter polum arcticum & antarcticum. Minor à nemine, ut puto, utrinq;ve in dubium facile vocabitur, nisi si quis DEO infinito finitum ad essentiaæ modum adscribere contra scripturam velit & sanam rationem. Relinqvitur ergò immota nobis conclusio: assumptam à λόγῳ carnem à primo conceptionis momento fuisse ubiq;ve cum λόγῳ (jam incarnato, præsentem, præsentiaæ verè, reali & actuali, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

II. Ab unione personali in specie.

Quaecunq; ἀδιατάτως, ἀδιασπάτως, ἀδιγλύτως καὶ ἀχωρίτως ad unum ὑφιστάμενον / suppositum constituendum uniantur, ea, durante est ἀhypostaticā unione, sibi invicem ἀκτῷ, verè & realiter sunt presentissima, ita, ut nullibi sit unum unitorum, ubi non sit & alterum ἀκτῷ verè & realiter præsens. At verò ἀπρῶτο conceptionis momento, ἀδεοῦ, dum caro Christi adhuc in B. Virginis utero fovebatur, λόγος & assumpta humanitas ἀδιατάτως, ἀδιασπάτως, ἀδιγλύτως καὶ ἀχωρίτως ad constituendam unam Christi personam uniebantur. Ergò λόγος & assumpta humanitas eò ipsò tempore ubiq; τῷ λόγῳ erat ἀκτῶ, verè & realiter, non virtualiter aut aptitudinaliter tantum, presentissima.

Majorem haut negaverit quisquam, nisi crassus fortè Nestorianus: Minorem multò minùs inficiabitur, nisi qui non est Christianus. Ὑπὲρ ἐκ παρισσῶν tamen utriq; lucem addere possunt loca Joh. I. 14. ubi λόγος splendor gloriæ paternæ Ebr. I. v. 3. dicitur caro factus I. Tim. 3. v. 16. DEUS manifestatus in carne Philipp. 2. 5. 6. Christus (homo exinanitus) fuisse in forma DEI Coloss. 2. 9. quod in ipso Christo homine habitaret tota DEitatis plenitudo. Unde promtum est colligere: *In quo tota plenitudo DEitatis ubiq; presentis inhabitat personaliter, id ubiq; præsens sit, necesse est* (secus enim alicubi tota ista plenitudo habitaret in homine, alicubi v. non habitaret) *At in Christo homine seu assumpta Christi carne &c. E. Iterum: Extrà quod is, qui essentialiter est ubiq; nullibi præsens est, id ubiq; præsens sit necesse est; At extrà humanitatem primò conceptionis momento assumptam λόγος, qui essentialiter ubiq; est, nullibi præsens est; secus namq; & heic inevitabilis te constringeret necessitas, ut ὑπόστασιν τῷ λόγῳ ἔνουσον ex parte, ex parte v. statuas ἀσαρκον, quod ἀτοπον est atq; ἀντίγενον. E. &c.*

III. A Natura personæ συνθετός.

Ubicunq; verè, ἀκτῷ & realiter est persona σύνθετος ex natura divina & humana, inde alterutra natura non nisi contradictoriè (sive ἀκτῷ primo, sive ἀκτῷ secundo, ut quidam loquuntur) abesse fingitur. At verò ἀπρῶτο

*primo conceptionis momento persona Christi σύνθετος & verò ille θεάνθρωπος
& ανθρωπότης fuit ubiq̃, verè, actu & realiter. Ergò non nisi con-
tradictoriè alterutra natura alicunde sive actu primo, sive secundo ab-
fuisse fingitur.*

Major est in confesso. Finge enim alicubi naturam divinam,
ubi non actualiter ipsi præsens sit natura humana, anne respectu illius
Ubi, à quo, secundum te, exsulat humana natura, erit persona σύνθετος
non dices, nec dicere ausis. Ubi enim una solùm, simplex na-
tura verè & actualiter præsens est, ibi συνθετος ratio jam cessat, nisi
idem, eodem respectu & simplex & compositum cum crassa contradi-
ctionis implicatione dicere velis.

At, inqvies, stabiliri posse personæ συνθετος rationem, si dica-
mus, λόγον seu divinam Christi naturam fuisse quidem verè & actu à pri-
mo unionis instanti ubiq̃, seu (ut λογομαχων quorundam phrasi ex ipso-
rum suppositione utar) fuisse naturam divinam ubiq̃, presentem actu
secundò, humanam autem naturam fuisse ubique presentem, actu
primo tantùm! Vasta profectò distinctionis pondera, hem! Ego ve-
rò affirmaverim tibi, distinctionem hanc, alioquin optimam, heic
tamen loci si applicetur, nihil esse aliud, quàm rudem Elenchi i-
gnorantionem. Quàdo namque personam Christi σύνθετον ubique
præsentem fuisse à primo conceptionis momento statuimus, non
certè ita nos lippire cucurbitas, existimes, ut putemus, personam
hanc σύνθετον à prima statim conceptione secundum utramque na-
turam actu primo & secundo fuisse omnipræsentem, omnipræsen-
tià illà ενεργητικῃ. Ita enim facile acquiescimus scripturæ, quæ
actum secundum istius omnipræsentia ενεργητικῆς conjungit cum
fessione Christi ad dextram Patris, quæ demum post resurrectionem
Christi ex mortuis contigit Marc. 16. 19. Luc. 22. 69. Eph. 1. 20. 1. Petr. 3.
21. 22. quæque eapropter humanitati Christi in statu exaltationis de-
mum convenire meritò à nostris statuitur Theologis; sed hæc nostra
juxtà cum omnibus Orthodoxis mens est: λόγον à primò concepti-
onis termino sicut & antè realiter & actu fuisse ubique præsentem,
& unà cum λόγω jam incarnato assumptam ejus carnem ipsi λόγω
Ubi que fuisse personaliter & actualiter præsentissimam; præsentia
scilicet abstractivè sumptà, quatenus dicit nudam unius naturæ ad
alteram, humanæ ad divinam, indivulsam ac inseparabilem ἀδιαστα-
σίαν mutuam, eamque intimam Naturarū περιχώρησιν & actualem

utriusque in omnibus Ubi adessentiam. Hôc sensu *B. Gerb. Exeg. Loc. IV. de persona & officio Christi ut & summè Rev. D. D. Calovius in Ex Doct. Reform p. 211. B. Scharf. Exercit. anti Calv. Diss 23. th. 10 qv. 3.* omnipræsentiam Christi vocant *intimam*, unius nempe naturæ ad alteram, quæ nullū prorsus ad creaturas & extrinsecas operationes habeat respectum: Illo v. *extimam*, quæ necessariò de suo formali referatur ad creaturas & extrinsecas operationes. Planius pleniusque mens nostra ut constet, dicimus atque statuimus, λόγον fuisse Ubiqve & à primò conceptionis instanti nullibi fuisse λόγον, quin ibidem verè, actu & realiter fuerit præsens (præter divinitatem, &) humana natura quoad actum personæ. Quæ actualis adessentia seu præsentia in omnibus Ubi de se nullam importat operationem aut respectum ad creaturas, id quod optimè te edocebit *Magnificus D. D. Calovius in Metaph. Divin. part. Gener. de Ubietate, πορισμ. 3 p. m. 392.* Adhibe jam prædictam tuam distinctionem ad præsentiam hanc abstractivè sumptam, nonne idem feceris, ac si diceres, Deum actu primò aliter, aliter actu secundò esse Ubiqve. Pondera verò inconsideratum hoc distinguendi genus in substrata materia, & fac mihi Deum esse alicubi, actu tantum primò, ubi non simul etiam sit actu secundò, quin eadem operâ fac Deum infinitum, immensum actu primo, qui tamen non sit infinitus, immensus actu secundo, quid ages aliud, quàm si cum recta ratione insanias? Minor argumenti propositio, quoniam eadem ferè est cum assumpto argumenti II. quod probatum supra est, novò fundamento non egebit, quippè cæteroquin per se satis etiam clara, omnibus iis, qui Nestorianam naturarum in Christo divulsionem averfantur. Unicum addo, quod *Leo serm. 3. de Passione* monee *Ab illo tempore, quo in intemerata virginis utero verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc, quod est homo, nec hominem sine hoc, quod est Deus, liceat cogitare.*

IV. A subsistentiæ λόγος & assumptæ carnis Identitate.

Ubicunq; est persona sustentans naturam per se ἀνυπόστατον, ibi necesse est adesse actu, verè atq; realiter naturam in hujus personalitate sustentantem, Sed persona τὸ λόγος sustentans suâ personalitate humanam
naturam.

naturam, à primo conceptionis momento & quum caro Christi gestaretur
adhuc in utero virgineo, erat Ubiquitas. E. & humana Christi natura su-
stentata in λόγῳ personalitate tūm etiam, quum benedicti Uteri latebris
clausa esset, verè, actu & realiter, erat Ubiquitas.

Majoris connexio fundatur in definitione personæ, vi cujus
natura ultimato actuatur ratione subsistendi; ista verò ultimata ad
subsistentiam determinandi ratio extrà naturam determinatam
nullò modo dari potest, quatenus scilicet est hujus naturæ determi-
natio. Aut ergò tota persona λόγῳ determinat naturam huma-
nam Christi ad ultimatum subsistentiam, aut pars tantum λόγῳ. Po-
sterius est falsum, relinquitur E. prius, quod tota persona λόγῳ ulti-
mato terminet & actuatur naturam humanam; quomodo autem to-
ta persona, si non, Ubicunq; est tota persona terminans, ibidem simul
actu adsit natura terminata? fortassis an & ibi terminat persona
λόγῳ humanam naturam, ubi humana natura non est? Absona o-
mnia. Veluti ergò ex inductione patet, semper ibidem esse perso-
næ formale, ubi est personæ materiale, seu semper ibi naturam esse
personatam, ubi est modus ille substantialis personans: Ubi persona
humana, ibi & natura humana; ubi persona Angeli, ibi & natura
Angeli: ita & irrefragabili consequentiâ licet dicere, ubi est per-
sona Christi, ibi utraq; natura, quæ ad hanc personam bi-unam
constituendam necessariò requiritur; & quia jam post incarnatio-
nem personalitate Christi non modo divina τὸ λόγῳ natura, sed as-
sumpta etiam humanitas, per se ἀνυπόστατος, ad ultimatum & in-
communicabilem subsistendi rationem determinatur, invictè con-
cludo, quod Ubicunq; personalitas Christi post incarnationem est,
ibi sit etiam non ejus divinitas modo, sed & assumpta humanitas;
quia modus determinans non datur extrà naturam determinatam.
In minore probanda nihil omninò est, quod desudemus operosè,
quum ea nos inter & Adversarios, quibuscum heic nobis res est, mi-
nimè sit controversa.

V. A Natura totius singularis.

Ubicunq; est totum singulare, ibi omnes ejus partes (sive ex sine
univocè sive analogicè sic dictæ) ad constitutionem ejus facientes o-
portet

C 3

partes

portet adesse verâ, reali & actuali præsentia. At verò à primo statim conceptionis tempore totum personæ Christi, seu totus Θεάνθρωπος erat Ubiquè.

Ergò & utraq; ejus natura, divina nempe & humana, quæ ad personam Christi constituendam ἀναστάντως uniuntur, à primo statim conceptionis tempore, verâ, reali & actuali præsentia fuit Ubiquè.

Consequentia Majoris suâ radiat luce, neq; ullâ vel minimâ labefactari instantiâ, citrà veritatis detrimentum, potest. Fac enim, abesse à toto aliquid, quod ejus integritatem principaliter constituit, remanebit tibi totum non totum. Totum quippè est actualis eorum, quæ ad sui perfectionem constituendam faciunt, unio; loquor autem heic de toto non *universali*, sed *essentiali*, *Integrali* & *singulari* vel personali, quod totius essentialis naturam æmulatur. Finge jam λόγον esse alicubi actu, ubi humana natura actu non sit, annon egregiè unionis istius in hoc toto omnium Confessione inseparabilis, indistraxibilis & indissolubilis vincula unò ictu diruere? Quò ipsò gratissimam Nestorio commoda veris operam, quod ubi evitare velis, prorsus heic abire à nobis non potes; quia totum ne concipi quidem sine actuali partium suarum unione, & intimâ eaq; realissimâ ad invicem præsentia potest. Minor superiùs probata sufficienter est. Adhæc in confesso etiam est λόγῳ non posse aliam, nisi realem & actualem in omnibus ubi adessentiam ob naturæ suæ immensitatem assignari; tùm & hoc constat, quod non duplici, non aliâ atq;ve aliâ sed unâ eademq;ve omnipræsentia præsens sit ubiq;ve λόγῳ incarnati & divina & humana natura; unde liquet, quum τὸ λόγῳ in omnibus Ubi παρουσία sit realis & actualis eademq;ve, non alia, assumptæ humanitati ob unionis gratiam conveniat, non posse non assumptam humanitatem etiam verâ, reali & actuali præsentia ac ὁμοπαρουσία esse Ubiquè præsentem, ubi totus Christus præsens est, ut infertur in conclusione argumenti.

VI. Ab absurdo.

Si post Incarnationem datur alicubi τὸ λόγῳ vera, actualis & realis præsentia, sine vera actuali & reali præsentia carnis unitatæ, sequitur, quod λόγῳ alicubi sit actualiter in carne personaliter unita, alicubi extrâ carnem personaliter unitam; Absonum posterius, tantò magis ergò prius.

Distia-

Distinctio illa inter omnipræsentia actum primum & secundum, utpote explosa superius, huic malo mederi minimè potest, & gratis planè huc trahitur. Aliud enim est præsentia intima, realis & actualis in omnibus Ubi cum λόγῳ, in sensu abstractivo; aliud præsentia extima in sensu concretivo, cum respectu ad creaturas. *Vide supra τὸ ἄρθρον. §. 18.* Non certè per aliam numerò præsentiam præsens fuit ubiq; λόγῳ, per aliam item assumpta caro, sed unà eademq;ve, numerò præsentia præsens fuit ubiq;, in una Christi persona utraq; natura, divina & humana, illa per infinitam essentiam; hæc per hypostaticæ unionis gratiam. Non potest autem una numerò præsentia esse & realis seu actualis, & aptitudinalis sive potentialis tantùm (quam quidam inconcinnè vocant præsentiam in actu primo) hæc n. inter se differunt, verbò dicam, ut Ens & non Ens, quia aptitudinalis tantùm & potentialis præsentia non est præsentia, quum hæc de suo formali notet actualem in Ubi adessentiam: Actu verò adesse & actu non adesse implicat. Concludo ergò, *quod, quia à primò conceptionis momento, λόγῳ jam incarnatus ubiq; fuit præsens, verà, reali & actuali præsentia, ubiq;ve unà simul ipsi adfuerit verà reali & actuali præsentia assumpta caro; secus necessariò concedendum foret, λόγον post incarnationem aliubi fuisse ἄσυχρον, quod quàm maximè est Nestorianum.* Ulterius: *Si humana Christi natura utero adhuc retenta, non ubiq; cū λόγῳ adfuit actualiter præsens; sequitur, quod toto insuper exinanitionis suæ statu non fuerit actuali præsentia ubiq;, ubi λόγῳ fuit.* Falsum autem est istud E. & illud.

Connexio Majoris est manifesta: præsentia enim naturarum mutua ad invicem ex reali actualiq; earundem Unione dependet; nō a. λόγῳ unitus assumptæ carni extrà Uterum magis fuit, quàm in utero adhuc existenti: Quod ergò personæ συνζήτησιν ratione Unionis & ex Unione in solidum fluentis præsentia, non convenit in utero existenti, id eidem extrà uterum etiam nequit competere; |par enim & heic & ibi est ratio, quoad unionem ὑποστατικήν, quæ primò conceptionis instanti, dum cœpit, consummata simul fuit, uti sæpius dictum.

Assumpti falsitatem probo, quia Filius hominis, qui loquebatur in terris cum Nicodemo in statu exinanitionis, quoad actum personæ erat in cœlis; ita enim ipsemet inquit Christus: Nemo ascendis

in

In cœlum, nisi Filius hominis, qui est (non qui esse potest, sed qui est actu) in cœlis Joh. 3. 13. argumentor ergo: *Filius hominis hoc tempore, quum ista loqueretur, aut fuit actu in cœlo, aut non fuit* (quia nullum inter contradictorias obtinet medium) *si non fuit actu in cœlo, quomodo sibi constabunt verba Christi? quod si autem tunc actu in cœlo fuit, qui simul etiam actu erat in terra cum Nicodemo presens, patet profectò, Christum hominem tunc non in uno solùm loco, sed potius unà cum λόγῳ Ubiquè, fuisse personaliter actu presentem.* Licet verò ex facili animadvertam, inde quidem directè non tam actualem omnipræsentiàm seu Ubiquitatem humanitatis Christi, quàm ejusdem actualem multipræsentiàm probari; nihilominus tamen, quum ab Adversariis unius Corporis finiti ὀλίγῃ multipræsentiàm atque ejusdem omnipræsentiàm pro æquè absurdis habeantur, quia & ipsorummet confessione, illà demonstratà hoc facillè concedi possit in præsenti controversià; sufficiat hęc vice probasse actualem carnis Christi in pluribus Ubi adessentiàm, quoad actum personæ, quæ tamen quoad actum naturæ verè & actualiter non nisi unò in locò erat: Illud autem ex iis, quæ adducta sunt antè, facile est colligere. Nec quicquam heic prætenderis ψευθεριμύνας Loci, Joh. VIII. 58. priusquam Abraham erat ego sum. Loquitur enim ibi Christus de se nondum incarnato; at verò Joh. III. 13. sermo est de filio hominis, λόγῳ nimirum incarnato. At quæ hæc, quoad sententiàm orthodoxæ κατασκευῆς, sequitur

ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

Quandoquidem præcipua rationum momenta, quæ in hęc negotio οἷον ἐναντίας obvertere nobis assolent, in κατασκευῆς jam antè atque κατασκευῆς nostræ sententiæ, beneficiò allegatarum distinctionum pariter atque exceptionum, satis superque protrita sint & confutata, paucis, quod in contrarium adhuc, sub ementita veritatis specie, moveri heic nobis ab Adversariis queat, detegere, pro ingenii modulo, conabimur, atque explicare: sit ergo

Objectio. I.

Humana Christi natura est omnipræsens aut propter unionem, aut propter glorificationem, quâ consedit ad dextram Dei. Non propter unionem, quia sic à primo statim conceptionis instanti humana natura fuisset omnipræsens, quod tamen 1. repugnat scripturæ, quæ nullibi Christi
sum be

Hum. hominem, quum esset in utero, extrà uterum etiam fuisse docet. 2.)
propria Lutheranorum sententia, qua omnipresenciam Christo homini
demum in statu exaltationis tribuunt. Ergo propter glorificationem. Si
hoc; tùm Caro Christi in materno adhuc utero non fuit. Omnipresens,
quia glorificatio ista seu sessio ad dextram Dei contigit demum post resur-
rectionem. Christi ex mortuis.

Resp. ad Majorem 1) distinguendo. Fallit enim ea ambiguitate
termini omnipresenciam, qui supponit vel *strictissime*; quâ ratione
primum ejus, adæquatum & unicum fundamentum, causa unica,
est personalis unio, ut adeò nihil prohibeat dicere in Minore, quod
humana Christi natura sit Omnipresens propter unionem: vel
strictè, & sic omnipresencia humanitati competit, non tantùm
propter personalem unionem, sed certo etiam respectu propter glo-
rificationem: ob illam quidem humanitas dicitur omnipresens
(omnipresenciam operativâ) actu primò, ob hanc verò actu secundò.
Est itaqve in Majore elenchus insufficientis partium enumeratio-
nis; datur enim tertium adhuc, nempe humana Christi natura est
omnipresens & propter unionem & propter glorificationem &
propter utramqve. *Vide ὁμοουσιον. §. 18.* Ad Minor. Resp. 1) ne-
gando: Falsum est, quod propter unionem humana Christi natura
non sit Ubiq;. Contrarium suprâ dedimus probatum. Nec verò
Scripturæ repugnat, quod humana Christi natura, dum fuit in ute-
ro, quoad actum naturæ, simul fuerit Ubiq; cum λόγῳ presens, quoad
actum personæ, id quod toties asserit Scriptura, quoties vel totam
plenitudinem DEitatis in Christo corporaliter à prima conceptio-
ne inhabitasse dicit Coloss. 2, 9. vel quod Verbum caro factum sit
Joh. 1, 14. quod DEus manifestatus in carne sit, 1. Timoth. 3, 16. quod
Christus homo, jam à prima conceptione, sit Dominus Luc. 1. 43. Fi-
lius altissimi Luc. 1. 32. 2.) resp. distinguendo. Lutherani Dd.
quidem omnipresenciam Majestaticæ & operativæ actum secundum
tribuunt humanitati Christi in statu exaltationis demum; neuti-
quam verò in statu exinanitionis, omnipresenciam eam fuisse actu
primo negant, multò minùs humanitatem in statu exinanitionis &
per consequens in utero etiam materno Ubiq; cum λόγῳ omni-
presenciam intimâ & strictissime sic dictâ verè, actu & realiter fuisse
presenciam inficiantur. Vid. *Gerh. locò 4. de persona & officio*
Christi §. 218.

D

Quis-

II.

Quicquid actu ubiq, cum λόγῳ, illud est omnipræsens actu secundo, adeoque actuale & plenarium ubiqvè in creaturis sustentandis, conservandis & gubernandis dominium exercet & exserit. Hoc namq, est de omnipræsentiæ formali ex Lutheranorum sententiâ. At vero humana Christi natura in materno delitescens alio non exercuit aut exseruit actuale & plenarium in creaturis sustentandis, conservandis & gubernandis dominium, fatentibus Lutheranis omnibus. Ergo humana Christi natura in utero materno constituta non fuit actu ubiq, cum λόγῳ præsens.

Resp: distinguendo inter omnipræsentiâ strictè & strictissimè dictam. Malè in Majore confunditur præsentiâ hypostatica τῷ λόγῳ ad carnem & contra, cum præsentiâ λόγῳ generali ad creaturas, & est plusquam sesquipedalis Elenchi ignoratio. Non sanè dicimus, humanam Christi naturam in utero fuisse omnipræsentem omnipræsentiâ ενεργητικῇ seu efficaci illâ, in sensu concretivo sumpta (mihi in actu primo); sed dicimus, in sensu abstractivo eam actu fuisse omnipræsentem, sine ulla extrinseca ad creaturas relatione, quatenus assumpta humanitas à primo conceptionis momento nunquam & nusquam abfuit à λόγῳ, sed utiqve ob personalitatis communitatem ipsi fuit præsentiissima. Et hoc distinctionis membro posteriore limitatam Majorem negamus ἀποτόμως, quia Ubiquitas, præsentiâ & omnipræsentiâ ut sic, abstractivè sumpta nullam importat aut infert operationem. Vid. ᾠδῶν. §. 12. Ad Minorem: utut humana Christi natura non exercuerit & exseruerit Majestaticam suam & operativam omnipræsentiâ in utero materno, actu secundo; à negatione tamen actûs secundi omnipræsentiæ operativæ in respectu ad creaturas ad negationem actualis & hypostaticæ omnipræsentiæ in sensu abstractivo & strictissimè acceptæ planè nulla est consequentia. Solidissimè, ut qui omnia, B. Gerhardus de hypostatica hac λόγῳ ad carnem & vicissim carnis ad λόγον omnipræsentiâ decernit: *Præsentiâ hypostaticâ naturarum, (inquiens,) ad se invicem præcisè & formaliter spectata, nullum inferre respectum ad creaturas; quum remotis omnibus creaturis, remotò Cæli terræq, systemate, nihilominus præsentia λόγῳ ad carnem & carnis ad*

ad λόγον, post factam unionem indissolubilis maneat; quippe quæ pro substantialibus & essentialibus habeat personam τὸ λόγῳ & naturam humanam sine ullo loci vel temporis respectu. Loc. IV. de persona & officio Christi §. 218. Vide & supra Θεωσκ. §. 12.

III.

Si assumpta Christi caro actum secundum omnipræsentiam habere demum cepit in statu exaltationis, sequitur, quod eadem in statu exinanitionis & tunc quum esset in utero, non fuerit actu omnipræsens & Ubiquitas, ubi λόγῳ fuit. At verò assumpta Christi caro omnipræsentia actum secundum in statu demum exaltationis, ex sententia omnium Aug. Confess. Theologorum habere cepit. E. Assumpta caro Christi in statu exinanitionis, & quum adhuc esset in utero, non actu fuit omnipræsens seu non actu fuit Ubiquitas, ubi λόγῳ fuit.

Resp. ad Major: 1.) distingu. α) inter omnipræsentiam strictè & strictissimè sumtam Θεωσκ. §. 2. β) inter omnipræsentiam in sensu abstractivo & in sensu concretivo positam Θεωσκ. §. 8. γ) inter actum secundum, & actum præcisè sumtum Θεωσκ. §. 11. 13 inter actum naturæ & actum personæ Θεωσκ. §. 10. quæ omnia in hoc argumento, tanquam errorum quædam lentina confunduntur. Assumpta Christi caro, in utero adhuc existens, fuit Ubiquitas præsens 1.) omnipræsentiam non strictè sed strictissimè sumtam 2.) non actu primo, sed actu præcisè sumto, seu fuit actualiter Ubiquitas. 3.) non quoad actum naturæ, sed personæ. Quod ad omnipræsentiam v. strictè acceptam, antea dictum concessumque sæpius est, humanam Christi naturam in utero, hujus omnipræsentia operativæ habuisse quidem κτήσιν, non v. χεῖρῶν, actum primum, non autem secundum, sed hoc ἀλλότριον prorsus est & extrà quæstionem.

2.) Resp. ad Majorem, negando ejus connexionem: Si caro Christi actum secundum omnipræsentiam (operativæ strictè sic dictæ) habere demum cepit in statu exaltationis, ergò in statu exinanitionis & tunc, quum esset in utero, non actu (personaliter) cum λόγῳ fuit omnipræsens & Ubiquitas, omnipræsentiam strictissimè sic dictam. Longè quippè aliud est actualis omnipræsentia, seu Ubiquitas λόγῳ incarnati, aliud item omnipræsentia τὸ λόγῳ actus secundus: illud de formali suo ἐνερ-

γητικόν, illud ἀνευέργητον : à negatione ergò actûs secundi omnipræ-
 sentiæ ὑποστατικῆς nulla omninò consequentia est , ut abundè id
 liquet ex superioribus. *Vid. solut. Obj. II. Resp. 2.* Nec audiendi
 verò sunt illi , qui concedunt heic quidem aut saltem negare non
 audent, quod humana Christi natura in utero existens adhuc, quoad
 actum personæ , fuerit Ubiq̄; cum λόγῳ præsens , præsentia verâ,
 reali & actuali ; Concedere verò recusant, quod eadem (persona-
 liter etiam in unione cum λόγῳ considerata) actu fuerit Ubi-
 q̄ve præsens. Πρῶτον ψεῦδος istorum hominum est , quod
 putent , actum personæ præcisè sumptum , & actum secundum
 in respectu ad omnipræsentiam heic pro eodem supponere, ut metus
 sit, ne , quia carnem Christi in utero adhuc existentem, dicimus,
 quoad actum personæ , ubiq̄ve cum λόγῳ fuisse præsentem , adeoq̄;
 actualiter omnipræsentem; dicere simul cogamur, quod caro Christi,
 in utero latens adhuc, fuerit omnipræsens actu secundò, seu quod
 caro Christi tunc temporis majesticæ, potestativæ, operosæ ac im-
 periosæ dominium exercuerit & exseruerit de facto : sed vanus est
 metus. Sunt enim ista distinctissima; & ab altero ad alterū, ceu patet,
 nulla nexilis consequentia est. Deinde in eo etiam errant, quod
 actum humanitatis Christi personalem respectu omnipræsentia sibi
 per merè aptitudinalem & potentialem tantūm omnipræsentiam
 imaginentur, quatenus, uti dicunt, non repugnârit humanitati in
 utero clausæ, ut, si voluisset, per suam communicatam omnipotenti-
 am, Ubiq̄ve esse potuisset, licet actu tunc Ubiq̄ve non fuerit; quum
 ex adverso cogitare deberent, humanam Christi naturam, quoad
 actum personæ ob subsistentiæ suæ, quam cum λόγῳ eandem habet,
 immensitatem & infinitatem, non posse non semper Ubiq̄ve esse, quia
 implicat satis quidem manifestè, infinitæ esse atq̄ve immensæ subsi-
 stentiæ, nullibi ab infinitâ & immensâ subsistentia esse separa-
 tum , & tamen non actu esse Ubiq̄ve. Contradictorium cer-
 teter & ultrà est , totum Christum à primo incarnationis pun-
 cto esse Ubiq̄ve actu præsentem, humanitatem tamen, quæ ad totum
 istud personale constitutivè accedit, non esse actu Ubiq̄ve præsen-
 tem, Actuali, partium constituentium ὁμοπαρῆσις? mirabile to-
 tum ! potest ne λόγῳ infinitus, immensus (cui assumpta caro ἀδα-
 σάτως, ἀδαλύτως καὶ ἀχώριστως, citrà ulla locorum Διαστήματα U-
 biq̄; personaliter est unita) esse alicubi actu præsens, quin ibidem si-
 mul

mul

mul assumpta caro adfit actu præsens, λόγος in carnatus sine carne?
Profectò λόγον incarnatum dicere alicubi esse actu præsentem, ubi
assumpta tamen caro actu præsens non adfit, est facere somnium sine
somno, & esse

— *splendentes jurare tenebras.*

Verbò absolvam, crassa, palpabilis & sex palmos lata contradictio.
Minorem quod attinet argumenti propositionem, eam citrà ullum
vel minimum etiam causæ nostræ periculum possumus concedere,
& quum conclusio argumenti unicè fundetur in connexione antece-
dentis cum sequente, in propositione majori disruptâ illâ, corruet
suapte sponte conclusio.

IV.

*Humanitas Christi sedens ad dextram DEI est actu ubiq; præsens.
Humanitas Christi, dum fuit in utero materno, non sedit ad dextram DEI
Marc. XVI. 19. Luc. XXI. 69. Eph. I. 20. 1. Petr. III. 21. 22. E. Humanitas
Christi, dum fuit in utero, non fuit actu ubiq; præsens.*

Resp. i. ad Major: quod ea committat Elenchū non causæ ut causæ.
Quamvis enim haut inficiemur, actum secundum seu plenarium
ulium atq;ve exercitium omnipræsentis, Majestatici & operosi ac im-
periosi domini humanitati Christi à gloriosa illa ad dextram DEI
sessione & exaltatione, veluti causâ quadam competere & proma-
nare; illud tamen constanter negamus, quod omnipræsentia ὑπερα-
πικῆ (strictissimè sic dicta) indissolubilis illa λόγος ad carnem & carnis
ad λόγον ἀδιασπασία & indivulsa ὁμοπαρεσία seu actualis totius per-
sonæ Christi in omnibus Ubi præsentia pendeat à gloriosa Christi ad
dextram DEI sessione, quæ demum post resurrectionem ejusdem à
mortuis & adscensionem ejus contigit. Immotis namq; argumen-
tis demonstratum suprâ dedi, quod caro Christi virginis adhuc ute-
ro clausa, ob unionem personalem necessariò fuerit Ubiq;ve cum
λόγω præsens. Falsum ergò est, quod ea tum demum cœperit esse
omnipræsens, quando gloriosâ suâ in cælum ascensione confedit
ad dextram DEI, quia à primo statim unionis istius hypostaticæ mo-
mento nullibi potuit esse totus Christus, totus Θεάνθρωπος, quin
ibidem actu personaliter præsentissima adfuerit assumpta caro. Si
hoc; patet profectò malè omnipræsentiaῖ ὑπεραπικῆς intimæ caus-
am constitui gloriosam Christi ad dextram DEI sessionem, quæ
lon-

longò post unionem personalem intervallò sequuta demum est.
 II. Resp. ad Minor: Præterquàm quod ea minùs legitimè in prima
 figura ponatur negativè, Resp. non tam nostris, quam *Excellentissi-*
mi D.D. Botsacci verbis ex Gymnasio suo Christol. disp. XXIV. numero 10.
pag. 472 & disp. XXV. num. marg. 1. p. 473 quod non repugnet Scripturæ
dicere, Christum, quà hominem, à momento unionis sedisse ad dextram
Patris, si modò distingvatur inter rem, & rei manifestationem. Ipsa
Majestas sessionis ad dextram Dei (inquit idem) vel res ipsa fuit in statu
exinanitionis, adeoq; in utero etiam materno quoad κτησιον seu ius ve-
rum post glorificationem eadem exaltatio tribuitur homini Christo, quo-
ad χρησιον, manifestationem & usum plenarium: Applicat ibidem nota-
tus Autor Canonem ἐρημνευτικò: scripturæ res fieri dicunt, quum pa-
tescant. Confer parallelismum Locorum Luc. II. v. 10. 11. Act. II. 36.
fecit illum Dominum & Christum. Simile quid videsis in collatione
Locorum Matth. III. 17. Rom. I. 4. Christus, qui erat Filius DEI per
essentiæ cum Patre identitatem, declaratur Filius Dei per resurre-
ctionem ex mortuis. Et sanè, quum dextra DEI nihil sit aliud
quam ipsum omnipotentis DEI gloriosum imperium nulli loco inclusum,
sed & à nullo loco exclusum, quò rebus omnibus & singulis, quæcun-
quæ & ubicunquæ sint, præsens potenterquæ dominatur Ps. 44. 4.
Exod. 15. 6. Esa. 48. 13. Ps. 78. 2. Hoc verò gloriosum DEI imperium à
parte rei ab ipsa essentia divina non sit realiter distinctum, negari
hautquaquam poterit, quin assumpta humanitate in unionem perso-
næ τὸ λόγῳ, quæ à parte rei est ipsa essentialis Dei dextera, nò diffiten-
te Zanchiò tom. II Col. 124. & quin communicatis assumptæ humani-
tati omnibus attributis divinis tota plenitudine Deitatis Col. II. 9.
eidem simul communicatum fuerit gloriosum & Majesticum Dei
imperium, quod dextram Dei appellitat scriptura, quodq; adeò à pri-
mo unionis termino & per consequens in utero materno etiam hu-
mana Christi natura sederit ad dextram Dei, i. e. habuerit gloriosum,
majesticum & omnipræsens Ubiq; dominium quoad ius & quoad
actum primum, seu quoad κτησιον; licèt ea quoad exercitium & a-
ctum secundum, seu χρησιον, in exaltationis demum statu & post re-
surrectionem à mortuis, ad dextram Patris sedere cœperit, quo de
loqvuntur dicta scripturæ Marc. 16. 19. Luc. 22. 69. Eph. 1. 20. 1. Petr.
3. 21. 22. Minor igitur propositio, distinctionibus his legitimè adhi-
bitis iterum evadit falsa; ut adeò hoc ipsò quoq; telò Adversarii fa-

tis pugnent infeliciter, dum aut prorsus falsis aut fallacibus saltem
præmissis invictum veritatis robur circum venire & concludere
nequicquam allaborant.

V.

*Corpus Christi in utero intemeratae Virginis existens aut fuit fini-
tum, aut infinitum. Si hoc, non potuit finito Mariae utero claudi, quia fi-
nitum non est capax infiniti. Si illud, tunc non fuit actualiter extrà ute-
rum Mariae ubiq; cum λόγῳ præsens.*

Resp: Antea in *ᾠδῶν* §. IV. nostræ sententiæ monitum est, hæc
esse distinctissima, immensum seu infinitum esse, & ubiq; esse. Nulla
creatura potest esse infinita & immensa, quia unum est infinitum, De-
us, & repugnat dari plura infinita tùm scripturæ, tùm sanæ rationi;
Nihil autem impedit, quò minus creatura finita sit & esse pos-
sit ubiq;ve, ut tamen in se finita maneat, sicut ostensum est
suprà. Assumimus ergò in dilemmate nobis opposito pri-
us membrum; & largimur ambabus manibus, corpus Christi in ute-
ro B. Virginis respectu suæ essentia fuisse finitum, quippe quod cre-
atura fuit, quæ ut sic nullò modò potest esse infinita ob simplicem
incompossibilitatem. De tortam verò exinde sequelam, quæ an-
nexa dilemmati est, nulla subest ratio, quare concedere debeamus;
nimirum *si corpus Christi in utero B. Virginis existens fuit finitum, Ergò
id temporis non fuit actualiter extrà uterum B. Virginis.* Repetimus mo-
dò suprà positam distinctionem, inter actum humanitatis Christi
naturalem & ejusdem actum personale *ᾠδῶν* §. X. Illò utiq;ve
humana Christi natura secundum suam essentiam tantum conside-
rata, nō erat extrà uterum *ist hoc* verò actu personali humanam Chri-
sti naturam ratione *ὑποστάσεως* seu subsistentiæ consideratam, actua-
liter fuisse Ubiq; cum λόγῳ præsentem, nihil vidi hætenùs, quod
obstet: Ut ut enim humana Christi natura in utero B. Mariæ existens
habuerit finitam & circum scriptam essentiam, habuit tamen tùm
infinitam quoq;ve & incircumscriptam subsistentiam, ipsius vide-
licet λόγῳ, à qua, ob arctissimum personalis unionis vinculum, nul-
libi poterat humanitas, etiam in utero adhuc considerata, abesse,
nisi dicere velis: λόγον incarnatum post incarnationem alicubi si-
ne carne fuisse; quod in Theologia nostra *ἁδοξία* esse ecquis
non videt? Quàm igitur heic nobis contradictionis intentant di-
cam, diversus diversorum actuum respectus non magnà operâ tollit

Si

VI.

*Si caro Christi à primo conceptionis instanti semper Ubiquè cum A-
 γω præsens adfuit; sequitur quod ipso Conceptionis tempore eadem non
 magis in Utero Maria quàm Herodiadis & aliarum muliercularum sit
 concepta: Et deinde, quod Christus homo etiam non minùs Romæ, Ve-
 netiis & Vienna, quàm Bethelemi sit natus. Consequens est absurdum.
 E. & antecedens.*

Resp. Non Consequens tantùm absurdum, sed multò adhuc
 absurdior est consequentis ex antecedente deductio, quam suis au-
 toribus relinquimus. Edisserant mihi, qui hòc argumentationis
 genere ludunt, quomodo Spiritus S. qui erat Ubiquè; ex immensitate
 naturæ, quum appareret Bethaboræ secùs Jordanem in specie co-
 lumbæ, dum Christus baptizaretur Matth. III. 16. non simul tunc ea-
 dem in specie apparuerit Leidæ, Romæ, Parisiis &c. ? expediant
 mihi, quomodo DEus in V. T. qui ex infinitate essentiæ erat Ubiquè,
 dum Legem promulgaret in monte Sinai Exod. 19, 20. non eandem
 simul Legem edixerit id temporis in omnibus aliis quoque mundi
 partibus? quod tamen non fuisse factum ex Deut. IV. 32. 33. 34. pate-
 scit. Explicent denique, quomodo Jehovah, ob essentiæ immensita-
 tem omnipræsens, sulphure & igne perdens Sodomam, non simul
 eòdem tempore in exitii & internecionis istius contagium pertra-
 xerit universum orbem Gen. 19, 24. & sexcenta hujusmodi alia, si
 verum est illud Calvinianorum: *Quicquid Ubiquè est, id ubiquè agit
 aut patitur id, quod patitur, aut agit, aut, si aliquid tantùm heic vel il-
 lic agit, tùm id etiam tantùm præsens est heic vel illic.* Quicquid ad
 ista responderi posse putabunt; id sibi à nobis quoque heic loci re-
 sponsum existiment Adversarii.

II. Adhæc directè etiam resp. ad argum. negando consequen-
 tiam propos. Major. Ratio negationis hæc est, *quod à præsentia Uni-
 versali ad specialem operationem & contra, nulla firma procedat conclu-
 sio.* Sicuti enim non licet arguari, Spiritus S. est Ubiquè. Ergò dum
 in specie columbæ adparuit, in hac specie apparuit Ubiquè. Tantò
 minùs procedit: Tota Christi persona, dum ejus humanitas virgi-
 nis adhuc utero gestaretur, erat Ubiquè. Ergò ubique etiam, & in
 omnium mulierum uteris cõcipiebatur & gestabatur. *Præsentia enim
 & operatio* quàm maximè inter se differunt: 1) quidem *Genere, opera-
 tio,*

tio, velut actus secundus pertinet ad categoriam *Effectorum*; præsentia verò ad *Relationis* categoriam, quatenus ea intimam duntaxat partium ad se invicem coëxistentiam in supposito *συνζήτη* importat. 2.) differunt *caussa operationis*. Causa, secundum Philosophos, est ipsa compositi forma, aut quod formæ vicem obtinet. *Vid. D. Iacob. Mart. l. 2. exercit. Metaph. Exercit. 1.* Præsentiam autem causatur non tam compositi forma; quam mutua partium & relativa ad invicem coëxistentia, immediatè ex mutua intimaque partium unione orta. Quod si enim quæsierim ex te, dum v. g. vides lintrarium amne vehi, quare dicas totum hominem esse in lintre? Resp. utique, quia & animâ & corpore suo est in lintre; quæ sic verò? quia anima lintrarii (quamdiu vivit) non existit extrâ corpus, nec corpus extrâ animam, sed sibi (dum unita manent) semper sunt præsentissima, adeò ut, ubicunqve est totum unitum, ibi unitorum partialium mutua ad invicem præsentia necessariò sit statuenda. 3.) Differunt denique Præsentia & operatio *modo attributionis*. Operatio enim tribuitur toti supposito: & operatur quoque totum suppositum *tanquam principium quod*: neque interim operatio attribui potest omnibus ipsius suppositi partibus, nisi solis illis, quæ commodum istius instrumentum sunt & *principium quò*; ut rectè quidam dicas: Totus homo videt, rectè etiam: oculi (qui sunt partes totius hominis) etiam vident: si pergas autem argutari: totus homo videt. E. Et pedes hominis (qui etiam sunt partes hominis) vident, rideberis. In auditum enim & absurdum est, quod pedes videant? quæris cur hoc? quum *quod valet in re pari, valeat etiam in re compari*? Ego verò paritatem istam nullam esse dico, quin potius summam collatorum disparitatem probo exinde: quia oculi quidem sunt commoda organa, per quæ anima facultatè visivam exserat, unde rectè infero, quod oculi videant; pedes autem sunt inepta instrumenta, per quæ anima potentiam videndi exserat & exserat, quum ad hoc pedes quam maximè sint indispositi: Hinc non nisi inconvenientissimè pedibus attribuas visum: pedes enim non vident, neque ut *principium quod*, neque ut *principium quò*. Secus namque non rarò conspiceremus Cæcos,

*Sunt quibus aternâ damnataque lumina nocte,
eximiò pedum polle re robore* (exemplò sit Virgilianus ille *Polyphe-*

E

mus

mus ab Ulyffe excœcatus) qui sanè, si pedes visivæ facultatis organa forent, præ aliis etiam quantumvis oculatissimis, acutum viderent.

III. Dicimus ac Majorem, quæ ea petat principium. Nunquam enim sarcastica illa in gloriam unigeniti Filii Dei blasphemia sequitur ex antecedente, quæ est ipsiusmet scripturæ sacrae & orthodoxorum omnium sententia. Ex facili verò cordati quicquid; infectissimum hujusmodi consequentiarum fontem perspexerint. Quippè effascinati sunt Adversarii falsâ hâc hypothese, quasi statuamus, corpus Christi esse Ubiquum, per modum quendam multiplicationis aut corporalis diffusionis, atque adeo corpus Christi, quum fuit in virginis utero, extra eundem etiam fuisse diffusum corporaliter, veluti aër quâdam sui parte in homine aliquo existens, aliis suis partibus diffunditur per totum sublunaris sphaeræ theatrum; quæ Manichæorum aliquando dementia fuit. Spurium autem istum omnipræsentia carnisque Christi modum totâ mente averſamur, remotusque is jam ante fuit *ἡ ἁγία Ἐκκλησία*. Et jam dudum ab ea impietate nos liberavit *Apol. F. E. contra Neostad. à sine cap. 4. f. III & C Brem. c. 1. f. 9.* asserens: *Daß sie aber solche greuliche Gotteslästerung und Schwermeyen gerne auff unser Lehr und Bekendniß deuten wolten / daß thun sie auslauterer und fürseßlicher Bosheit und wissen / daß sie daran uns vor Gott unrecht thun / wird ihnen auch zu seiner Zeit / wo sie es nicht erkennen / schwer zuverantworten fallen.*

IV. Confundunt prætereà Adversarii in Majore iterum actum naturalem cum personali, & fallaciam ἐπεροζητήσεως subingerunt. Quod enim corpus Christi, dum fuit in utero B. Virginis, quoad actum naturæ fuerit tantum in utero Virgineo, concedimus, quod verò tum quoad actum personæ tantum in utero, & non simul extrâ uterum cum λόγῳ ubique fuerit præsens, tantum abest, ut admittamus, ut confiteamur potius, quod Christus, qui actus naturalis ratione non nisi in utero solius Virginis Mariæ conceptus est, respectu actus personalis in λόγῳ atque ita supra omnem locum fuerit erectus. Hinc malè infert major: *Si caro Christi à primo conceptionis instanti semper fuit Ubiquum cum λόγῳ præsens quo ad actum personæ* (de quo solo isthuc quæritur) *Ergo etiam semper fuit Ubiquum cum λόγῳ præsens quo ad actum naturæ*; cujus tamen contrarium ultrò semper asseruimus, quippè nostram thesin nullò modò feriens. Adde, quod demonstratum sæpius est, hæc duo amicissimè inter se conspirare: *localis nimirum præsentia*, orta à nativa conditione corporis naturalis, & *illocalis subsistentia* orta ex unione personali.

V. Com-

V. Committitur insuper in hac consequentia μεταβάσις ἐς ἄλλ' γέγονε, quando ex conditionibus physicis, quæ occurrunt in conceptione ψιλῆ ἀνθρώπου, iudicatur atq; colligitur admiranda illa & hyperphysica conceptio Θεανθρώπου. Non certè sequitur; si purus homo in utero materno conceptus, extrà uterum præsens non est; Ergò nec Christus homo personalitate τῆς λόγου Filii DEI subsistens, dum fuit in utero, extrà uterum præsens alibi esse potuit: Rationem desideras? nudus & purus homo finitam habet & essentiam & subsistentiam, Christus homo verò utut respectu suæ humanitatis finitam habeat essentiam, habuit tamen semper infinitam subsistentiam, à qua nunquam & nullibi potuit separari. Illud equidem monstrare Physica potest; istud verò sola docet scriptura. Et, ut demus nonnihil physicis etiam speculationibus, esto, ex mente tua: quicquid in solo Mariæ utero concipitur, id non est ubiq; ; subsume de carne Christi, quod ea, quia, dum conciperetur, in solo Mariæ utero præsens erat, non fuerit Ubiq; . Resp. & ambabus tibi manibus largior, id, quod est in solo Mariæ utero, eò modò, quò est in utero, non esse Ubiq; ; & sic caro Christi eò modò, quò, dum conciperetur, erat in Mariæ utero præsens, extrà uterum certè non erat; quod v. eadem caro, in utero Mariæ, quoad actum naturæ præsens, aliò modò spectata, quoad actum scilicet personæ, non simul cum λόγῳ illocaliter extrà uterum fuerit ubiq; , præsens, id inquam est, quod ex argumento hoc inferri posse, constanter negamus.

VI. Iisdem ferè pharmacis medemur & alteri consequentis membro: si caro Christi à primo conceptionis instanti fuit ubiq; , cum λόγῳ præsens, sequitur, quod Christus homo non minùs Romæ, Venetiis & Vienne, quàm Bethlehemi sit natus. Quod is, qui natus est Bethlehemi, eò momento non possit esse Romæ, valet in descriptione puri & nudi hominis, qui, dum nascitur, sanè non potest esse alibi, quam illò in locò, in quo nascitur ob essentia & subsistentia suæ finitatem: fallit autem, si Christo Θεανθρώπῳ applices illud. Deinde valet id etiam de eodem præsentia respectu; Christus homo, quum nasceretur, quoad actum naturæ, erat tantùm Bethlehemi, non Romæ, Venetiis aut alibi; idem v. Christus homo in unitate personæ τῆς λόγου consideratus, quoad actum personæ seu personaliter, non Bethlehemi tantùm, sed ubiq; verè & actu aderat, ubi erat infinita λόγου persona, quia λόγῳ incarnatus nullibi est extrà carnem, nec etiam

etiam

etiam partialiter est in carne, partialiter extrâ carnem; sed totus λόγος, tota inquam, plenitudo Deitatis habitat in carne. Coloss. II. 9. Quibus animadversis heic quoq; negamus Consequens ex antecedente legitimè inferri. Ratio negationis data paullò antè est; quod scilicet *à præsentiâ universali ad operationem specialem vitiosa inferatur conclusio.* Ecquis verò paullò intelligentior exinde non videt, quàm miserè fallat fallaturq; adversa pars futilibus ejusmodi & frivolis nonnunquam Consequentiis? Quamquam tolerandum id esset, nisi quoq; ex hac ipsiusmet Scripturæ S. & Spiritûs S. sententia tot, toties, tantarumq; blasphemiarum ansam sibi fumerent, more prorsus sceleratissimorum hominum, qui, ubi verecundiæ limites transgressi semel sunt, scelus sceleri aggregant. Quò aliò etenim sine impium illum librum, & vix infernis ignibus expiandum satis, quem Breviarium ubiqvitisticum inscripsit, fabricatus faber ille Anonymus est? Quippè quum eò jam pervenisset impudentiæ, ut nescio quæ comminisceretur licentiùs, parum habuit, salvifica Spiritus S. oracula ivisse imminutum, nisi & plena sannarum plaustra in ipsam omnipræsentiæ Christi Majestatem exoneraret, & ut, nostratum de Omnipræsentiâ Christi hominis *εἰς ἰδοξίας* invidiæ exponat, ingentem vexaret chartam. Quibus v. tantum abest, ut moveamur nimiùm, ut flocci potiùs faciamus, quicquid earundem nugarum est, & saniozem omnibus adprecati mentem, ei rem commēdemus, *ὅς ἔμακρον ὄφ' ἐνθεῖ ἐκάστῃ ἡμῶν ἰσάρχει.* Faxit idem, *ut post multa tandem certamina, passim eluētetur Veritas, inq; publicam lucem magis magisq; emergat, & splendorem ac radios suos ita diffundat usquequaq; ut omnes machinationes adversariorum, qui cæcis bucusq; oculis veritati oblatrârunt, confundantur, disturbentur, longè ac prorsus evertantur: ut principes cum subditis, & subditi cum suis principibus, unanimi semper consensu vera sinceræq; fidei cohæreant, & quisque adeò securus & imperterritus laudare Deum suum atq; celebrare liberè possit; cui, quicquid in nobis est veri cultûs, quicquid spei & huius & subsequutura felicitatis, uniceq; trans-*

scribimus.

EI SIT LAUS ET GLORIA IN OMNES SECULORUM
ÆTERNITATES.